



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 34. Ludovicus Bavarus Mediolani coronatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

vabat suam. In reditu Placentiæ, ubi sæcul. XIV.
 lues sæviebat, commorans, & ipse hac A.C. 1327.
 correptus, non solum nosocomium, sed
 etiam urbem relinquere cogebatur, ne
 inficeret alios. Charitatis officia præ-
 stantem sibi Dominum quendam Gothar-
 dum nomine adduxit ad contemptionem
 rerum fluxarum, & ad amorem solitudi-
 nis. Sanatus Cesseronem revenit: ubi
 spiritum Deo reddidit 16 Aug. 1327.

§. XXXIV.

*Ludovicus Bavarus Mediolani
 coronatur.*

Delato Mediolanum Ludovico Bavaro
 die Pentecostes 31 Maji anno 1327
 in templo S. Ambrosii coronam ferream
 imposuit medius Regiensem inter ac Bri-
 xianum Episcopos Præful Aretinus Gui-
 do Tarlatus absente Aicardo Mediola-
 nensi Archiepiscopo, cujus erat hanc o-
 bire ceremoniam: sed Papæ addictissi-
 mus ne invidiam rei contraheret, se
 submoverat. Ludovicus Mediolani hæ-
 rebat usque ad duodecimum Augusti:
 tum Hetruriam petiit.

*J. Vill. l. 10.
 c. 19.
 Corio. p. 470.*

Romani Papam sibi verba dare vi-
 dentes ad eum legationem ultimam mi-
 serunt cum litteris scriptis sexto Junii
 sextoque pariter die post coronatum Me-
Histor. Eccles. Tom. XXIII. T dio-

Sæcul. XIV.

A.C. 1327.

Rayn. n. 9.

diolani Ludovicum. Inquiebant ibi: Curvatis genibus flagitamus, ut Sanctitas tua quamprimum veniat, & abjectis cunctationibus solitis ipsa visat primariam sedem suam, quam oblita videtur. Alioquin jam nunc asseveramus, nos coram Deo, totaque Aula cælesti, coram ipsa Ecclesia, & cunctis per orbem Christianis excusabiles fore, siquid infaustum accidat, sique filii patris sui præsentia, & quasi capite destituti ad dextram vel sinistram deflectant partem. Id graviter tibi voce viva exposituros mittimus hos tres Legatos: & quia effectibus, non verbis habemus opus, stricte iis præcepimus, ut ne amplius triduo in aula Romana seu potius Avenionensi hæreant, sed celeriter revertantur, ut percepta eorum relatione nostræ securitati melius providere possimus.

§. XXXV.

Papa Romanis non satisfacit.

Auditis Oratoribus Papa deliberationem ea de re cum Cardinalibus iniit: **n. 10.** illosque post triduum apparare abitum, & suum responsum necdum compositum videns, facta eisdem discedendi copia dixit se mentem suam aperturum per Nuncios, quos propediem missurus esset. Scripsit proin Romanis epistolam, cujus hæc